186

DRACO GREGORIANVS

SIVE

GREGORII XIII.

P. O. M.

LAVDATIO

Ab eiuſdem gentilitio ſtemmate deſumpta

HABITA IN ANNVIS PARENTALIBVS

A MATTHAEO TABERNA

SOC. IESV

In aula maxima Collegij Romani Anno 1643. Menſe Aprili, die 15.

ROMAE, Typis Hæredum Franciſci Corbelletti. Anno 1643.

LAVDATIO

REDIMVS ad faſtos iterum A. & quem repetita quot annis noſtrarum laudationum obſequia mori vetant Pontificem hodierna luce, ad renaſcentis cum rediuiuo Deo Veris pompam e cineribus euocamus. vt enim Athenienſes Athenis, ſic Gregorium Gregoriana in Regia laudare, tam facile eſt quam iucundum. Huius in partem operis ego quoque venire iubeor in præſentia, fucum tamen vt vereor, arti facturus, quando ſplendorem illi contulerunt vniuerſum quotquot ex hoc eodem loco ante me dixerunt Oratores. Quod enim Gregorianæ virtutis ſymbolum ſeponitur mihi pertractandum, vbi & Coloſſi molem, & ſiderum, Soliſque munificentiã, & celſitudinem Cæli, & Mundi vniuerſitatem, & quicquid demum grande, quicquid ſplendidum potuit exaggeratæ ſummam virtutis implere præte-

Horat. l. 4. od. 8.

Plat. in Menexeno Socr. apud. Ariſtot. l. 1 Rhetor.

ptum mihi doleam neceſſe eſt? Cum ergo tam alta veter ſapere & præeuntium oratorum facundia, & ſubeuntis orationis infantia meæ, ſplendidas aliorum compellationes veneratus, Gregorio dignas quidem, non æquas tamen, ego ad extremã Gregorianæ baſis crepidinem inexpertam manum deprimam, ibique tamquam triobolaris & verè minoris pictoræ pictor, an potius colorum tritor? Gregorianum ſtemma Boncompagnum Draconem carbone leuiter adumbrabo, & quem veteris a veteratore dracone damni reparatorem olim vidiſtis, cuſtodem nunc vigilantiſſimum, non Heſperijs duntaxat hortis, ſed vniuerſo terrarum orbi præſidem exhibebo. Veſtrum interim erit nobilitatis veſtræ lumine meas vmbras illuſtrare. Et ſanè cuius nam Senatus conſulto factum putatis A. vt eo ſubinde tempore, quin imo ea propemodum die, qua Gregorius Rector terrarum maximus eſt adoratus, Cæleſtis etiam Draco antiquas ſui vices inſtauraret imperij, & nouo partu fæcunda tellus inuiſo Italiæ portento terreſtrem Draconem in agrum Bononienſem, hoc eſt in Gregorianum ſolum effunderet? Certè architectantis naturæ conſilio factũ id ego reor, quæ Gregoriano Draconi ancillatura (quando ex veteri paræmia Serpens, niſi ſerpentem comederit non fit Draco) grandior vt ille fieret, minores illi obijciebat Dracones, quos præfocaret; & vero thiara, vix dum capiti impoſita, præfocauit. Vna etenim dies Gregorio coronam, Draconi necem afferre debuit, quando dies vna Gregorium adoratum Romæ, & Draconem exortum Bononiæ demirata eſt. Quod ſi Actiæ, Auguſti, Mammææ

Plin. l. 35. c. 10.

Claud. Paradin l. de ſymb. Heroic.

Vliſſ. Aldrou. hiſt. de Serp. & drac. l. 2. c. 5. §. 2.

Seueri,

Seueri. Olympiadi macedonis Alexandri matribus inter vana ſomniorũ deliramenta obiectus Draco, Regni amplitudinem filijs adhuc intra vteri clauſtra concluſis præſagiuit, cur non gentilitium Gregorij parenti Draconem propoſitum dicemus, dum puero vix dum maternas anguſtias egreſſo, domum fabricatus eſt Parens ampliorem? vt eius fortaſſè amplitudinem Romanæ magnificentiæ facerct puero rudimentum. *Pier. Val. hierog. l. 15* *Plin. l. 31. c. 5.*

Verum, vt inde prima ducantur argumenta laudationis meæ, vnde vel ipſum Draconis nomen exurgit, quod dedit vigilantia, quid illius oculi perſpicacitate ſubtilius, quid acutius viſu? Nouit hoc feſtiuus ille, & ſerius in iocis Poeta Ariſtophanes, qui ludicro verũ obuelans, duos in Æſculapij Templo dracones collocauit, qui grata continuati beneficij frequentatione ſenis infęliciſſimi Pluti cæca lumina crebro relambentes, id muneris tam diu iterarunt, quoad linguis obſtetricibus ſepultam olim lucem denuo ſenſit ſenex medijs e tenebris renaſcentem. Quid vero in Principe gentium omnium capite magis oculo neceſſarium? planè ſenſus hic omnium eſt, & omnibus iam decantatus ſcenis quod Ægyptiorum prima protulit Sapientia, Principem ſubditorum oculum, virga vigilanti, oculato ſceptro donandum, Iouemque ipſum ad Principis effigiem ab oculatiſſimo ſimul, & cæco Poetarum duce expictum inter inertia reliquorum Numinum ſomnia, ſemper inſomnem vigilaſſe. O Gregorij oculum quouis lynce, Dracone quouis oculatiorem! oculum mentis beneficentiſſimæ ſedulum adminiſtrum! ſcilicet occulta *Macrob. Saturn. l. 1. c. 20. Pier. l. 14.* *Ariſtoph. in Plut.* *Pier. l. 33. ter. 1. Homer. Iliad. 2.* *Lucian. in Hermotimo*

rimari incommoda, abditas veſtigare calamitates, miſeriam ipſam quauis bellua ferociorem ſuis in latibulis latere cupientem venari Gregorianum fuit. Eloquantur ſecretiora nobiliũ familiarũ penetralia indicta ſibi ab egeſtate ſilẽtia. edicat ſordido quamuis, & pannoſo obſita velamento, cognita tamen peregrinantiũ maieſtas Dynaſtarum. Ipſa prædicet Purpura, quæ Pontificiæ pupillæ aditũ præcludere non potuit ad inopiæ ſub ipſa delitefcentis indagationem properanti, qua polleret oculorum acie Gregorius, quam dilucidè ſupra Tiberij perſpicacitatem ipſas vmbrarum caligines oculorum intentione diſſiparet.

Plin. l. 11. c. 37.

Fugerat Erneſtus e Bauaria fratrem potius Patriæ imperantem exoſus, quam fratri Patriam obſequentem; eæ fraterni nexus vincula turbæ diſſoluerant, vt alterius præſentia abſentiam alteri ſuaderet. errabat interim ſuo profugus a ſanguine Erneſtus non totus, quia ſui partem in fratre reliquerat, ignotus omnibus, vnis, vt opinabatur notus fortunæ, & ſibi, ſed. O fortunatos errores! Fratris oculos fugiens, Patris oculos incurrit, Ducis odia, Pontificis oſculis immutaturus. Hic certè ſi vnquam alias bene dictum putarem; ſi non erraſſet fecerat ille minus. Erneſtus dum erroris ſui metam Romæ hoc eſt in Cæli confinio tenet; vere cum Themiſtocle apud Perſas de ſe iactare poterat Perieramus niſi perijſemus. Tanti eſt Gregorianũ oculum habere excubitorem, qui vel ipſo Sileni cortice inclusam cerneret Maieſtatem.

Martial. l. 1. Epig. 21. ex Rader.

Plut. in Themiſt.

Rhodig. antiq. l. 6. cap. 5.

Priuata ſunt hæc nimis A. quæ ſingulari poſſunt beneficio definiri: liberioris proſpectus ſcenam

nam

nam ampliorem, grandius theatrum amat Pontifi-
cia Prouidentia. Speculam ſibi fabricatur; ex qua
circumſpectator optimus oculos ſapienter emiſſi- *Plaut. Au-*
tios ad omnium commoda poſſit eiaculari. Propo- *lul. 4.*
nite vobis ob oculos editam illam ſpeculam,
quã totius pæne terrarũ orbis theatrum fecit plane
auguſtum. Intuemini diſpoſita ſuo quæque ordine
Prouinciarum, Regnorum, regionumque linea-
menta vniuerſarum, atque ex eo mundi compen-
dio, Gregorianæ prouidentiæ coniecturam facite.
Quorſum exiſtimatis A. tabulas illas expoſuit vni- *Plut. in La-*
uerſitatis indices Gregorius? Terrarum omnium *con. Apoph.*
cenſum voluit quas ditaret, non quibus diteſceret, *De Ageſi-*
nec peregrinari voluit cum Adriano Cæſare vt ea *lao.*
omnia videret, quæ legerat, vel audierat, ſed vt *Spartian.*
mundi plagis omnibus, quas præſe videbat proui- *& Sabell.*
deret. Percurrebat oculo beneficentiſſimo lineas *l. 4. En. 7.*
illas multiplices, quæ ſuos quibuſque regionum
gradibus fines definiebant, iiſque ſe ſe implicanti-
bus ſuæ liberalitati pedicas libentiſsimus innecte-
bat. Totum demum terrarum orbem peruagatus,
quicquid oculo deſignabat, id totum deſtinabat
beneficijs. Qnid hic ego Neronianum Phengitem, *Iſidor. lib.*
quid ſpecularem Domitiani lapidem expendo, *16. c. 4.*
quibus alter ædem fortunæ, ſuam alter conueſtiuit,
ſui commodo per alienam perniciem conſulturus?
miſeretur me veſtrum gemmarum infeliciſſimæ qua-
rum ſplendor ſuperſtitioni ſimul, & ſuſpicioni de-
ſtinatur, vt vel ipſa formido fiat pretioſa. Per-
legat amicorum epiſtolas in Lunæ ſpeculo tam- *Iul. Caſ.*
quam in membrana Pythagoras & in eiuſdem *Buleng. l. de*
maculis varia textura digeſtis quid in remotis *lud. vet.*
agatur. *ex Suida.*

agatur regionibus apertiſſimè intueatur. Vna graphicè deſcripti terrarum orbis tabula ſpeculum appendit Gregorio, vt quotquot in terris degunt mortalium calamitates, in ea dilucidius multo quam in Achaiæ ſpeculo repreſentatas Caritatis oculo aſſequatur, & aurea potius, quam cenſoria virga deſignet. Et inficiabitur aliquis quod de ſe iactabat impudenter Octauianus Gregorianis oculis diuinum quid inhæſiſſe, quando Sole verius Mida felicius quicquid oculo dignabatur, idem auro illuſtrabat? Quam bene ex intuentis Gregorij palpebris amorem diſtillaſſe pronunciaſſet Heſiodus, ſi eum citra ſtultitiam munificentiſſimos oculos declinantem in terras aſpexiſſet. Declinauit quidem oculos ſapienter in terram, ſed non eos terris affixit irretortos, quin imo ſideribus ac Cælo nouus & ſanctior explorator iniecit Cælum etiam beneficijs illigaturus: ſcilicet eius in terris vices gerens, cuius ordinatione perſeuerat dies, dierum etiam vices inueſtigare debuerat, & cur non inueſtigaſſet, quando ſideribus prauitatem ineſſe Numinis ipſius teſtimonio nouerat euulgatum?

Pauſ. in Achaic. 7. *Heſter. 5.* *Quintil. l. 1. c. 2.* *Sueton. c. 79.* *Hygin. fab. 191.* *Heſiod. in Theogon.* *Prou. 7.* *Pſal. 16.* *Pſal. 118.* *Iob. 18.*

Deliquerat annus iampridem (niſi deliquiſſe potius in ſupputando dicendi ſint ſiderum exploratores); deliquerat inquam, nec qui cæcum reuocaret ab errore adhuc inuenerat. peccabat interim ſua an aliena? conſtantiſſimus in culpa reus impoſturæ cæcas mortalium mentes ludificantis: meridiana in luce caligabat dies, ſuiſque in tenebris ſol ipſe exoculatus Gigas exultans Cælo inſultabat. cæcum ductorem ſecuta ſaltabant extra chorum

Pſal. 18. 6.

ſidera,

ſidera, annuuſque curſus anni ſoliſque vias penitus ignorabat. Ceſſerat pænè dixerim Cælum antiquum in Chaos, morboſa tunc quidem ſi vnquam alias vertigine laborans. Solſtitia ſolſtitiali planè morbo ſtellas infecerant, æquinoctia perpetuas Cælo, terræque noctes affuderant, eoque tanta rerum perturbatio ſeduxerat mortales, vt Cælo authore peccare viderentur. Labem impendentem ſenſit olim Romulus, ſed morbi periodos ſupputare non nouit. Lunam exploratricem appoſuit Numa Pompilius, ſed eam inconſtantem non deprehendit. Solem præfecit Iulius Cæſar Cælo amicus, ſed occulta fraude technas machinantem eũdem poſtmodum vidit Auguſtus. Acceſſerunt antiquiſſimi Nicenæ Synodi Patres, acceſſere demum Romani Pontifices, lutulenti fontis originem indagaturi, ſed Cæli æquè, ac Nili Caput non inueſtigabile cenſuerunt; ſic omnium vota fruſtratus annus, omnium deludens ſtudia, ſine luce, ſine duce læta permiſcens triſtibus, cineralia bacchanalibus confundens, pluſquam Decembri aſtrologorũ libertate, mortales fraude mala decipiens bacchabatur. Cæcutit nimirum humanus oculus, vbi terræ Cælum, humanis diuina ſunt conciliãda. Vnus Gregorij perſpicaciſſimus oculus occultam in ſtellis reperit prauitatem. vnus aberrantem Solem reuocauit ad carceres, ne hominũ mentes aberrarent cum Sole. Vnus aſtrorũ fata caſtigauit aſtris ipſe fatalis. vnus dormientem nobis Cæli concentũ excitauit, vnus annuis aſtrorum conuerſionibus amiſſam reddidit harmoniam. vnus Cælum rexit, vt Cælo fas eſſet regi. vnus antiquã anni culpam Pontificio decreto

Interpr. Plaut. in Trinum. 8.

Macrob. Saturn. l. 1. c. 12. 13. 14.

Plut. in Numa.

Plut. in Cæſare Appian. Sueton. in vita

In Canon. Paſch. Nicol. V. Plin. l. 5. c. 10.

Alex Piccolomin. de noua. cul. Calẽd reſt. forma.

Horat l. 2. Sat. 6.

Iob. 38. 37.

Cic. 3. de nat. deor. de Pythag.

abſoluit, breuius dicam vnus Gregorij oculus Cæli oculũ emendauit. Videtis opinor A. quorſum mea tendat oratio; & iam Cæli Draconem ſiderum curſus intra Zodiaci limites moderantem ſagaci mentis perſpicacitate intuemini. Ità planè, ſed antiquum Draconem, vel Palladis, vel Herculis trophæum is fuerit, inexpertum tamquam ſiderum choragum Cælo excluſit Gregorianus Draco, eumq; anno Piaculari Romanorum oculis videndum expoſuit, irarum flammis æſtuantem, & antiquam ſiderũ ruinam Cælo fruſtra minitantem. Vigilat interim ſuffectus HerculeoPontificius inter vrſas inſomnis toti ſupereminens Cælo, nunquã ruiturus, & dum dies numerat certos, ſua beneficia expendit, dũ ſtatas anni viciſſitudines obſeruat, ſua munera agnoſcit, dum errantium luminum, ſuaque per veſtigia recurrentium definitas periodos examinat, beneficentiæ ſuæ notas quaſdam inueſtigat. O temporum temperatorẽ Gregorium, O Gregorij oculum, ſole quem illuſtrauit perſpicaciorem! O Cælum vnius ad aſpectum Gregorij recreatum! An ergo ſine diuino numine factum rear, vt qui ſiderum ſomnia ad inſomnes vigilias traducere, Cæli oculũ ad excubias poterat excitare, Vaticani etiam liminis cuſtodiæ præficeretur? Eat ſui vetuſtas adulatrix in Draconũ laudes, eoſque ædium, liminum, templorũ cuſtodes prædicet; Epidaurij ſenis, imberbis Apollinis oracula Draconi cuſtodita recenſeat: Gregorius Vaticanæ Sedis cuſtodiæ deſtinatus id totũ ſua peregit virtute, quod olim ad ſcenarum plauſus aptarunt mendacium deliramenta Poetarum.

Quamobrem & commiſſo ſibi Vaticanæ fidej patrimonio

Senec. Trag. 2.

Aratus in Phenomen.

Ouid. 2. metam.

Anno 1575.

Apoc. 8. 12.

Alex. Piccolom. ſphær. Mundi ſmag. 3.

Rodig. l. 19 cap. 3.

Pier. valer. l. 16. Lil. Gyrald. ſynt. 7 Pauſan.

trimonio parantem inſidias manum auocauit, & auxiliares ad eiuſdem cuſtodiam Principum oculos aduocauit. An nõ clauibus, quibus Cæli fores reſeraret, & clauderet vix dum acceptis, Iani fores aperuit, vt bellum Turcis inferret, Othomannica luna id temporis verè, ſi vnquam alias iuxta Aſtrologorũ ſententiam, fatalem ſibi Draconis aſpectum pertimeſcente? An non reciſa ſemper, excisa nunquã renaſcentium e funeribus hæreſum capita, ferro ſæpius, & armis, deriuatis etiam non ſemel è Cælo fulminibus exagitauit, compreſſit, præſocauit? An non infulatum illum ganeonem Truxesium, Colonienſem Antiſtitem, & ſeptemuirũ (quem ideo nominatum volo, vt æternis omnium ſæculorum diris Caput inſanabile deuoueatur) refractarium Romanæ primum, tum Cæſarianæ fidei calcitronem, Vaticano primũ fulmine peccantem in Cælum laceſſiuit, ac demũ Cæſari obluctantẽ Pontificijs armis profligauit? Mitto lutheranæ ſuperſtitionis peſtẽ bellorũ incendijs extinctam in Germania. Mitto fraudes ingenioſẽ peſſimas, quibus impia religiosè Anglorũ mentibus illudebat Eliſabetha, Gregorij ferro penitus diſſolutas. Mitto Bizantinam illam claſſem, quę velificantem Italiæ vniuerſæ cladẽ, vndis ipſis gemitu ruinam præmonſtrantibus afferebat, cõiuratis ad Gregorij vota Aquilonibus, Cæloque eiuſdem precibus militante prorſus diſſipatam. Mitto demũ alia ſexcenta in Chriſtianæ Reipublicæ perniciem exurgentia monſtrorum capita, vnius ad ipſorum necem excubantis Draconis aſpectu labefactata. Annuocor enim in eam partem, qua pacis conciliator non tam ſui, quam aliorum tutelæ viſus eſt ex-

Seru. in Virg. l. 1. Aen.

Petr. Apian. in Aſtron. Cæſar. enunc. 18. & 22.

Horat. de arte.

Claud. 6. Paneg.

Plin. l. 24. c. 8. *Seru. in Virg. 4. Aen.* tubare Caduceum ambientes Dracones imitatus Hermes verè ter maximus.

Confluunt nimirum vſquequaquè ordine incompoſito ſuis vrbes dimotæ regionibus, ſuis euulſa ſedibus Regna, Gregorium quà periclitantis, quà præcipitantis Coronæ reſtitutorem adoratura. En illa, quæ inter anguſtias auguſta, mœnium ſidera ferientium ambitione ſuperbiens ſaxea iam fronte minas hoſtium irridet, quos timuit, poſitaque fluctibus lege ſuo iubet in portu naufraga perire naufragia: Liguſtici Maris Regina eſt. Quam ridenti ſerena ſupercilio, quam facili obſequioſa vultu Gregorianam oſculatur manum, qua opem ſuppeditante eſſe ſibi reſtitutam, qua ſcribente Auſtriaco ductori militariter inſultanti ereptam olim fatetur, Gregoriano calamo calamitatem omnem auertente. Adeſt ſuis innatans aquis Melitenſis Inſula, quæ crudeliores ijs, quas veneno exarmat experta ſerpentes, vipereo quia inteſtino bello matris viſcera lacerantes, non ænei, ſed aurei Draconis ſibilo *Num. 21.* ſenſit exanimatas. Aduolat lilijs redimita Regnatrix, & ereptam ab Hæreticis Henrico eius nominis III. Regni Coronam oſtentans, coronanti Draconi, æquè, ac inauguranti Columbæ debere ſe plurimū *Baul. l. 1 Greg. Turon. Henric. Erphord.* profitetur. Intuemini non longo diſſitas interuallo, ſeſeque mutuis in fœdera manibus nectentes Poloniam, & Sueciam, patrijs olim rigoribus bellorū incendia nutrientes, interpoſita poſtmodum Gregorij Caritate conciliatas. Italiam quis non videat domeſticis ciuium, externis graſſatorum, hoſtiūque diſcordijs exagitatam, manum admouente Gregorio, iterum ac ſæpius priſtino ſplendori reſtitutam?

192

Deficit A. oratio conuolantium vndique regionũ impetu oppreſſa, nec remotiſſimas quaſque valet aſſequi libertati redditas Ciuitates, liberatas vaſtitate prouincias, pacata legionibus Regna, ſtabilita Regibus imperia; Mundum denique vniuerſum armorũ acie ferreum in ſæculum degenerantẽ, aureo redonatum. Vnũ dixiſſe ſit ſatis; Gregorius ita Vaticanum imperiũ firmauit, vt tuendo Romanæ Religionis imperio pares habere poſſet adminiſtros, qui excubante Pontifice excubias & ipſi nõ detrectarent. Procul hinc ergo dignitatum aucupes, diuitiarum venatores, procul ſpongiæ Pactolis inhiãtes, procul hirudines ſanguinem ipſum ſitientes. Non eos apud ſe voluit Gregorius, quorum Præfectura præda eſt, quorum poteſtas populatio, quorum honor, orbis terrarum excidium; Non Claudij libertos; non citharædos Neronis, non hiſtriones Domitiani, non Commodi aurigas imperantes viderunt ſæcula Gregoriana. Eos duntaxat id temporis dignitas excepit, quos dignitati pares ex veteri præſcripto fecerat virtus; eos admiſit aula Vaticana, qui Cæleſtem in terris aulam moribus repræſentarent. Fæliciſſima tempora, quæ pannoſam, aut ſolitariam virtutem, nunquam viderunt, quæ infulas moribus, meritis purpuras deſignarunt. Aperirem hic ego libentiſſimè theatrum elegantiſſimum eorum, quos ſibi in tam grandi adminiſtratione delegit adiutores Gregorius, longo quidẽ Principũ, & Cæſarum ſanguine verè Purpuratos, ſed litteratũ, & Religionis ſplendore præfulgentes adeo, vt ex ijs, quos Gregorius purpura donauerat, quatuor poſtmodum parem Gregorio locum in Vati-

Sueton. in Veſpas.
Horat. de arte Poet.

Io: Sileſac. l. 1. excerp. de mag. van.
Sueton.

Luc. de Penna. Rubr. C. de dign. l. 12.

cano

cano colle obtinuerint. Atque hos quidẽ in remotiſſimas Mundi Prouincias,qua oritur,quaué occidit ſol deſtinauit,vt peregrinantes Perſarũ oculos imitati, verè Pontificis pupillæ dicerentur, quæ Romanæ Religionis propagationi diligentiſſimè inuigilarent.

Suid. *Xenoph.* *Rodig. l. 4. c. 19.*

Quid vero eſt quod oculis per omnem latè mundi regionem diſſeminatis, omnium characteres linguarum iubet in æs incidi Gregorius? Vidit opinor Pontifex Draconi ſuo ſonoras inter Cæli depluentis linguas Vaticanũ in apicem eleuato, multiplicẽ & æneam quidem linguam fuiſſe conſentaneam,vt eminus ſibilo perſonaret, & terram omnem ſonitu perſuaderet. O prudentiſſimam Gregorij cuſtodiã! O ſapientiſſimas excubias! Ea linguarum impreſſione dedit altiſſimus vocem ſuam gentibus vniuerſis,vt ex ijs cor vnum fieret, & anima vna, quæ Vaticanæ poſtmodum linguæ conſona protinus reſponderet. Teſtes hic habeo locupletiſſimos linguarum quidem omnium, vnius tamen fidei Iuuenes, in mundi compendio muſicam vniuerſitatis harmoniam repræſentãtes,quos ego,dũ præſentes nomino,quid eſt quod in remotiſſimas deficientis mundi lacinias mens veſtra peregrinetur, Memphyticas Pyramides,Cizici Turres commiſſæ voci reſpondentes admiratura? Equidem quot Alumnorum cætus intueor, totidem in ijs Vaticanæ vocis conceptacula agnoſco,ex quibus robuſtior eadem reſultans,Romanis alliſa collibus,gratam Cælo excitat vel ad inuidiam Olympiæ porticus,fidei reſonantis eptaphonon. dicite hos omnes vigilias, & excubias agere ſuis in ſtationibus,ne hæreſum aliqua

Feſto Pentecoſtes die coronatus Pontifex. Ciac. can. in vita *Numer. 21. 9.* *Pſal. 8. 5.* *Pſal. 17. 14.* *Act. 4. 32.* *Max. Tyr. diſſ. 2.* *Plut. de placit. Phil. l. 4. c. 20.* *Plin. l. 36. c. 15.* *Plin. ibid.*

 193

qua Vaticanā arcēm adoriatur. Suos huc delegauit excubitores primæ lucis indigenas, Libani montis amœniſſima regio, non iam, vt olim cum Auſtro pugnam infæliciter ineuntes, ſed victorias cedris ſuis dignas reportaturos. Delegauit Arctos gelida ſuos Anglos patria, moribus Angelos, & partus glorioſè degenerantes, fæliciter exules dum expulit volens, nolēs donauit vrbe, ne amplius diuiſos ab orbe Gregoriano Britannos fama iactaret. Delegauit Germania morituræ nunquā nobilitatis, & roboris florem, Iuuenes, & morum candore, & ſinceritate cordis verè Germanos, quos quidem ambigas lucemne accepturi, an daturi Romanum ad Cælum acceſſerint; quando nunc Rheno, vt olim Romani patris ſub iura fluente, creditos ſuis laboribus ſacræ poteſtatis annulos, vt Annibal, modijs cenſent, & dum inter Apollinares lauros adoleſcunt, Vaticanas in purpuras erudiuntur.

Virg. Eclog. 1.

Eutrop. l. 3. de geſt. Rom.

Venio iam ad Theſaurorum cuſtodiam, quibus ſapienter mendax Poetarum natio Dracones præfecit inſomnes, vt oculo ſemper irretorto ſepultis opibus incubarent. ſed, O nouam theſaurorum cuſtodiam! Non arcas inexorabilibus peſſulis obſeratas, non inuias oculis, nedum manibus ſepulcrorum latebras; non Euclionis anguſtias, non Annibalis ſordes condendis theſauris deſtinauit Gregorius, ſed ſubditorum ſcrinia cum Alexandro, ſed omnium egeſtatem cum Cimone, vt non Gilliæ, ſed Gregorij opes commune patrimonium fama euulgaret. ſcilicet vbi lupa pueros non ſuos ſuo lacte nutrierat, par erat vt Draco ſuis opibus ditaret

Rodig. lib. 10. c. 3. Philoſtr.

Plaut. Aulul.

Max. Tyr. ſer. 6.

Theop. l. 10. Athen. l. 12. c. 15.

Idem. l. 1. c. 1.

Valer. max. l. 4. c. 8.

Claud. l. 1. de rap. Proſ. Ouid. l. 5. faſt.

gorius, qui Cereris, qui Triptolemi, qui Saturni plauſtrum ducentes, non corrogandis, ſed erogandis opibus inuigilant, non prohibent dona, ſed præbent. Hic vero A quid agam ignoro, nec quid conſilij capiam video, turba delectum penitus impediente; quid enim dicere primum aggrediar, cum primam ſibi deberi laudem ſingula profiteantur? dicam in vrbe virgines dote caſſas & illocabiles, auctas dote & locatas? pium eſt. ſed præſtantius videbitur debellatam argenteis haſtis pudoris arcem aureis redemiſſe. dicam abrogatum nulla ſubditorum prece vectigal? glorioſum eſt, ſed glorioſius nobilem paupertatem nouo redituum incremẽto ditaſſe. dicam egenorum omnium ciuium miſerias larga ſtipe ſubleuatas? munificum eſt, ſed munificentius ignotos, eoſque barbaros locupletaſſe. dicam vrbem ex lateritia non marmoream Auguſti, ſed auream Gregorij beneficio redditam? Pontificium eſt; ſed orbem terrarum vniuerſum ſuis opibus amplificaſſe, eſt vnicè Gregorianum. Quid ergo faciam? quæ noſtra vidit Italia recenſeam? Iam ſe mihi dilecta Gregorio Germania objiciet. Hiſpaniam refero? occurret Gallia. Ego, inclamabit ab vltimis Aſiæ finibus Ægyptus, Cælo ſupplicare dedignata, aureis tamẽ imbribus Gregorianæ beneficentiæ perfuſa fæliciter, tunc primum pireum amnem, meaſque tenebras oblita, didici publicum illud eſſe terrarum orbis horreum, vnde ſerenos imbres, & pluuias innubes, in me deriuauerat Gregorius. Ægypto nunquam inuida, cæpi tunc inuidere, ſubdit Scythia, cum Gregorium Nilo fæcundiorem vidi, & Riphæi rigoris pertæſa, ferreo

Apoll. Pyth. orac. in Adag.

Sabell. l. 1. Enn. 7. ex Sueton.

Pompon. Mela. l. 1. Claud. epig. 6. de Nilo Plin. l. 11. c. 9. Rodig. l. 16. c. 16. Claud. vt ſupra Rodig. l. 10. c. 30. Iuſtin. l. 1.

quam-

auarij S. carne

quamuis corde, amaui tamen Romanum Patrem, aurum ſcythico pretioſius meum in ſinum effundentem, edocta interim Gryphes meos, auaros nimiũ auri cuſtodes Draconi ſubdere Vaticano. Quid? ego, tumentibus inſurgit labris Æthiopia, quæ viuentibus damnata tenebris, corporatis vmbris, laruiſque non ſilentibus agitata, diurnam in meridie noctem cogor traducere, cenſui Gregoriano ſubtrahar, qui ſuæ beneficentiæ ſplendore malignam ſolis Tyrannidem auertens, iuſſit auri Gregoriani filios, ſi non ore, ſaltem corde parentem oſtentare. Quid plura? Chaldeos ſiderũ exploratores vna detinet Gregorianæ beneficentiæ profluens vrna. fœlicis nomen Gregorio debet Arabia. India ſuo pauper in auro Gregorianas videt venas ſuis in alueis exundantes. Non Sina dumetis aſpera, non Tigribus ferox Armenia, non infeſta Draconibus Mauritania Gregorianam fugit beneficentiã, Gregorianam laudem declinat: Cum ergo his recitandis vna officiat multitudo, quibus admirandis vna par eſſe poteſt æternitas; mitto auribus inſinuare quæ oculis ſunt ſubiecta fidelioribus, Cadmæa penè dixerim iſthæc ſeminaria, in phalanges armatas Draconis opibus ſuccreſcentia, & vniuerſum terrarum orbem armis igne Gregoriano cuſis munientia. Mitto Collegium hoc vniuerſæ ſapientiæ Auguſtale, & verè Romanum Athenæum, cuius amplitudinem vel ex eo metiri poſſumus, quod infectum quamuis; & non-

Pompon. mela.

Cic 1. de diuinat

Plin l. 6. c. 28

Senec Hercul. fur. 3. 2.

Iuſtin. l. 30.

Arig .. 5. Eclog.

Horat. de arte

Ouid l. 3. metam.

Annibalis conuicium non calcandis cadaueribus, ſed viuentibus calcandos indignantibus fluuijs iniectos. Mitto demum cum cæteris erectas porticus, dilatatos carceres, horrea, gymnaſia, Baſilicas, apertos montes, æquatas valles, exhauſtas paludes, vt ijs qui ad Corporati Numinis, & intactæ Virginis lauros triumphales accederent auro quod perrumpit ſaxa potentius ictu fulmineo fierēt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vnum dixiſſe ſufficiat. Non ciues, non exteros, non Principes, non Reges, non Imperatores duntaxat, ſed nuda ſaxa, ruſticas trabes, ſolum ipſum auro ditauit Gregorius, vt quicquid aſpicimus, quicquid ſpiramus, quicquid calcamus etiam, beneficium eſſet Gregorianum. Eas nunc Roma, & delicias tuas nomina tuos illos publicos mundi prædones, coronatos humani generis laniſtas, vultures, voragines, furias adoratas, eaſque cum Gregorio contende, cuius Draco verius quam olim Luterij Principis currus, quot impreſſa terræ ducebat veſtigia, beneficia totidem mortalibus proferebat; cuius manus verè tornatilis & aurea ſua fecerat lucra, alienæ remedia calamitatis: cuius animus par mundi miſerijs, vnus ſat omnibus eſſe poterat: cuius largitas animum exæquabat. ſubibat Gregorij mentem aliquorum egeſtas? petitionem anteuertēs præſtitit ne rogarent: rogarunt? preces odit, vetuit gratias. donauit? ſed nulli ereptum, ſed nullius lachrimis conquiſitum. Acceperunt? accepiſſe videbatur ipſe, in debitum dona conuertens & nouam in infortunio fortunam fabricabatur. ſi plena largitus eſt manu, plenitudini manuum facilitatem addidit, artem difficultatis exoſus. ſi facilis dedit, non munera bracteata non phalerata vendidit beneficia, ſi grandia donauit,

de aqui & metall. *Marcelin. l. de lap. Philoſoph.* *Ouid. in Ibin.* *Horat. l. 3. od. 16.* *Iſai. 40. 4.* *Athen l. 4.* *Cant. 5. 14.*

angu-

195

anguſtior fuit materia voluntate dum materiæ abundantia penuriam fecerat egenorum. donauit autem egenis, ne theſaurus a corde ſeiungi poſſet, quod niſi frequenter iſſet in litteras facti fidem excedere videretur, ſupra vicies centena nummũ millia; cumque occulta, & cæca manu gratias effunderet, quibus omnes ingratos faceret, munificus adeo, ſolius tamen auarus nominis fuit, grauem ſibi ratus famã, quæ leuibus inuecta pennis beneficia perdit, dum ſpargit. & miretur quis tranſiſſe in vota paupertatem, quã Gregoriana beneficentia fecerat adeò pretioſam? O cuſtodiam enimuero laudandam; O linguis vniuerſis prædicandas excubias, inquiet aliquis contracto ad ſocraticam ſeueritatem ſupercilio. ſcilicet Gregoriũ dum collactanea prodigentia ærarium ita omne exhauſit, vt ne vnciariam quidem ſtipem ſibi relictã doluerit aliquando, ita theſaurum diſperſit, vt Pontificẽ mendicum reddiderit, ſeruando Eccleſiæ patrimonio inuigilaſſe dicemus. Habet A. vnaquæque lux vmbras ſuas, habent & ſidera canes allatrantes, habet & Iupiter Momum ſuum. diſperſit Gregorius, ſed vt colligeret, ſeuit ſed vt meteret; profudit aurum, ſed cũ queſtu rediturum; dedit effusè, ſed fænori, non vt ærariũ minueret, ſed vt amplificaret; & quidem quanto amplius fecit, dum ſeptem ſupra triginta Ciuitates & oppida Vaticanæ coronæ ſtipendiaria Vaticanæ reddidit ditioni? quibus additis vicies centena nummum millia

Matth. 6. 21.

Lucian. ex Plat.

eam e plane maiorem. Quid iam eſt quod miremur A. confluentes in vrbem populorum turbas, turmas etiã Principum, centurias pænè dixerim Dinaſtarum? Habet vires, habet magneticam neſcio quam facultatem Principis humanitas, Principis munificentia, vt ambigas, num aureus Principis animus ex Platone, an vero manus aurea Populos ad ſe pelliciat vehementius. Certè qua deos omnes ad ſe traheret Catenam aureã

Homer. Iliad 8. produxit e Cælo Iupiter apud Homerum. Non aſpera niuibus iuga, non infeſta prædonibus freta, non nota naufragijs maria properantes ad vrbem conuenas remorari potuerunt, non ætas, non valetudo, nõ humilitas, non magiſtratus, non neceſſitudo, non otium retardauit, quo minus ad Gregoriũ conuolarent. Excla-

Rhodig. lect. antiq. l.22.c.20 maſſent opinor tunc iterum Perſæ nouum Xerſem exortum, qui ab imis radicibus, non Græciam, ſed mundum extirparet. Vidiſſes Romanæ vrbis amplitudinẽ mundi capacem, ad anguſtias redactam, niſi Gregorius ſinũ vrbe capaciorem, & nouis mundis parem habuiſſet. Spectabas hæc tuis e collibus Roma, & quod

Sabell. l. 2. Enn. 7. Sueton. olim Principe Nerone timueras, gratulabaris tibi, publicam te factam domum, & quidem auream, in qua Gregorius mundi Paterfamilias mundum hoſpitem beneuolentia non vectigali alebat. Videbas peregrinantes in tui obſequium prouincias, regna ipſa fluctibus innatantia, Europam, Aſiam, Affricam, Americã ipſam, facto agmine tuũ in ſinum ruentes, & arce ſeptena ſublimis, celſior gaudio ferebaris, quod vere Caput mundi dici tunc poſſes quando pręſentia tibi omnia membra agnoſcebas. Ea fuit A. accurrentiũ multitudo populorum, vt færè nulla natio externa Gregorium Romæ non viderit, rata beneficium ſe accepiſſe

cum

196

eum propius eum inſpexiſet. Ea fuit Gregorij humanitas, qua omnes excepit ſæpius, vt Gregorij vultus exteris, barbariſque fuerit æquè notus, ac Romanis. Gratulari tamē tibi in tanta conucharū affluentia hoc vnū ſeb?o Gregorij; quod illuſtrem, & inuiſā à Chriſti principatū legationem primus obtinueris, dicerem etiā à mundi naſcentis exordio, niſi legationē ex India ad Auguſtū Cæſarem mirata quōdam eſſet antiquitas. *Strabo. l. 15.*

Venerant ab ignota illa cogniti mundi appendice, quam nos citra philoſophi ſomnia & fabulas Poetarū nouum mundum appellamus. Venerant inquam, imò aduolauerant, vndis quidem reluctantibus, reclamāte Typhone, ipſa propemodum natura repugnante, ab auroræ finibus egreſſi, Auroræ filij, Regij Sanguinis trias nobiliſſima, & antiquam Magorum triadem imitati, Gregoriani Draconis ſidere annuente, ad Gregorij; hoc eſt ad humani, pænè dixerim, Dei pedes venerabundū inclinauerant Orientem. Qua vero humanitate, quibus gaudijs, quibus gratijs, exceptos creditis à Gregorio auidiſſimos Vaticani velleris Argonautas? Aureos torques collo iniecit? ad familiarē ſermonem admiſit? ſeuocauit ad ſecretiora theſaurorum arcana? vim pecuniarū ingentem erogauit? bracchijs, quibus Cælum terræ conciliabat amplexus eſt? Oſculo Pontificio & publico ſingulos donauit? quid dici poteſt grandius? Magnum eſt, ſed impar adhuc Gregorianæ Charitatis oris & manus munera ſunt iſt-

Apud. Philop., l. de mund. opif.

Matth. 2. 1.

Diod. l. 5. c. 3

Hygin. fab. 14.

Apoc.c.21. deſtinatas? O margaritas Cælum ipſum Iaponicæ fi-
l.21. dei reſeraturas ideo quia Pontificias ! Excepit ergo
Petr. Cel- rore lachrimarum orientem Vaticano Cælo ſolem
lens.depan. ipſe occaſurus, ne humida orienti, occidentique ſoli crepuſcula deeſſent,&quando auroræ filij Gregorium *Pompeius* tanquam ſolem occidentem contra mores hominum *Cinna apud* adorauerant, par erat vt ipſe occaſui proximus, aquas *Plut.* ſibi effunderet ſepulcrales.

Ouid. l. 3. Verum ne Pontificijs lachrimis ſua deeſſent pon-
de pont. dera, vocē addidit verè cygnæam,qua,ſe ipſo maior,
eleg. 1. diuinum quid, oculis, ore, vultu ſpirans, mortem ſibi precatus eſt ſimul,& vaticinatus Simeonis verbis inclamans *Nunc dimittis ſeruum tuū domine.* O vocem Cælo quidem exceptam, terris vero nunquam excipiendam! ſed,O ſurdas nimiū ad Gregorij vota mortalium aures! Audiſti votum Roma, nec illud aduerſis votis auertiſti? O non iam ſurdum,ſed auritum nimis Cælum ad humanas calamitates! audiſti votum, & exaudiſti. nec rerum incuſamus naturam A. quæ mortalitatis periodo definiuit virum,quem virtus factura fuerat immortalem.O vitrea lamentantium vota !Iam mori par eſt Gregori. veniſſe videmus qui morti tuæ fecit moras. Extendiſti ſatis cum ſole manus, mundum iam vtrumque complexus, vtroque maior Cælo te debes,pretium facturus æternitati.Vixit Gregorius A.& qui Pontifex inauguratus fuerat inter eloquentis Cæli ſonoros plauſus; inter motus vniuerſitatis æterno futurorum bonorum Pontifici parentantis occubuit,quin imò eodem die, & eadē ferme hora,qua ille Patrem inclamauerat,filium iſte inclamans,inter omnium lachrimas,ne morienti aquarius deeſſet, qui naſcenti præfuerat; cum iam cui da-

ret

iet non eſſet, ſe ipſum Deo redditurus, crucem pectori affigens, quando pectus cruci non poterat, ſummo ſui deſiderio relicto, inter geſtientis animæ ſuſpiria ſpiritum ſuum cum patibulati Dei ſpiritu confundens expirauit; & animam verè auream, corporis, & mundi anguſtias indignantem Cælo ſuauiſſimè inhalauit. Par enimuero erat, vt dum æneus Draco in deſerta Caluariæ terra ad ſui, non ad alioru̅ necem erectus in ligno peribat, ſuppar illi Gregorianus Draco ſufficeretur in Cælo, quo prælucēte perenni curſu decurrat mortalibus integrioris orbita fælicitatis. Quis verò tunc Romæ ſenſus fuit; cum inopinam Parentis mortem excepit? quæ lachrymæ, qui eiulatus, quæ ſingultantium animarum voces incompoſitæ? Caligabant oculi illi, quibus citra fallacias verus Amor inſederat, quorum acies calamitatem omnem debellauerat, quoru̅ vigiliæ Cæli patrimonium cuſtodierant. Silebat lingua illa, quæ plectrum olim fuerat, auream cordis exprimens harmoniam. Torpebant manus illæ quæ infortunia repellentes, fortunam cuique fixerant ſuam. Pedes illi rigebant, quibus ſtantibus, nuſquam fælicitas claudicauerat. Vnus demum qui vota expleuerat omnium, omniu̅ fruſtratus vota iacebat Gregorius. nihil profectò grauius, nihil miſerius Roma vnquam doluit, ſuos & ipſa Soldurios, & Ambactos datura, ſi mors eorum vitam producere Gregorio potuiſſet.

Io: 3. 14. Cirill de Incarn: Vnigeniti.

Plato in Cratylo.

Piſid. Ambr.

Caſ. l. 3. de Bell. Gall. Idem l. 6. de eod.

ſuæ depictam eius non haberet effigiem, hoc vno ſibi ſubditorum corda mercatus; quod tunicas viritim in turbas diſtribuerat. Viuet in tabulis, viuet in monumentis, viuet in ſaxis, viuet in ære, viuet in auro, viuet in nobis Gregorius, viuet in corde, viuet in oculis, viuet in ore, & cur non viuat in nobis Gregorius, in quo dum vixit viximus, cui hoc ipſum etiam debemus quod viuimus. Viuet ad venientium fortaſſe ſeculorum inuidiam, fortaſſe ad æmulationem, dum auram Gregorianam ſpirabimus, dum pro corde nobis erit Gregorius, erit autem dum viuemus.

Theat. Vit. hum. Vol.10.l.3. pag. 2436.

Euocabimus e tumulo memoriam ipſius, & repetitis annorum conuerſionibus Gregorij laudes redordiemur, vt quando Gregorius ſtatos Cælo curſus definiuit, Cælum etiam indefeſſa vertigine curſus laudum indefeſſos Gregorio præſcribat. Viue igitur media inter ſidera beneficentiſſime Gregori, & occaſus expers in tuo Dracone, non aſtrologorum deliramentis, ſed tuæ virtutis meritis prælucente, ad hemiſpherij noſtri tutelam inchoatas proſequere excubias. Debes hoc nobis, quia nos amas; debes hoc tibi, quia Polus, quem moderaris, cor Draconis eſt.

Arat. in phenom.

DIXI.